

L. ANNAEI SENECAE

DE PROVIDENTIA.

ARGUMENTUM.

Cap. I. Monet Seneca, se id tantum de providentia Deorum moniturum esse, quo Lucilius cum Diis bonorum amantissimis in gratiam reduci posset. Cap. II. Contendit, bono viro nihil mali accidere posse, quippe qui iisdem superior sit, et fata adversa exercitationis vice obtinere sentiat. Cap. III. Malorum tam speciem externam, quam veram indolem perquirat. Cap. IV. Docet, neminem bonum vel magnum virum dici posse et apparere, nisi qui, pugna contra res adversas fortiter pugnata, hac ipsa virtutis exhibendae occasione bene usus sit. Cap. V. Boni viri praestantiam in eo quoque positam censet, quod hic incommoda quoque laudabiliter convertere sciat. Cap. VI. In exemplar natos quoscumque bonos viros ideo potissimum malis nonnunquam tangi existimat.

I. Quaesisti a me, Lucili, quid ita, si Providentia mundus ageretur, multa bonis viris acciderent mala? Hoc commodius in contextu operis redderetur, cum praeesse universis providentiam probaremus, et interesse nobis Deum: sed quoniam a toto particulam revelli placet, et unam contradictionem, manente lite integra, solvere; faciam rem non difficilem, causam deorum agam. Supervacuum est in praesentia ostendere, non sine aliquo custode tantum opus stare, nec hunc siderum certum discursum fortuiti impetus esse, et quae casus incitat, saepe turbari et cito arietare: hanc inoffensam velocitatem procedere aeternae legis imperio, tantum rerum terra marique gestantem, tantum clarissimum

⁴ L. A. Senecae opera philosophica. Ed. Vogel. Lipsiae 1830. p. 161—174.